



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

217. Dominica 7. post Pentecost. Cavendum à Sathana, adhærendu[m]
Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 7. post Pentecosten. 389

turbatum, potentiarum inferiorum rationi sine repugnantia obediens vis, conformitas rationis ad nutum Dei, passionibus omnes, earumque actus fuerunt ut mare sine undis, & aer sine ventis, ut coelum sine nube, non motus in sensibus sine voluntate rationis, non ratio sine nutu divino, nulla tepiditas, nulla inanis gloria, procul omnis superbia, procul omnis error.

Conf. 3. Repetendo totius septimanæ proposita, præsertim, in quibus majorem difficultatem sentio. Petam à Diva gratiam executionis.

MEDITATIO CCXVII.

Dominica 7. post Pentecosten.

Cavendum à Sathana, adhaerendum Christo.

Videbo me ex castris Babylonæ, Luciferique tyrannide translatum ad castra Christi, Domini mei hereditarij. Petam ei gratus obsequi in omnibus.

Conf. 1. Quàm bene mihi præcipiatur, ut caveam à lupo infernali; propter falsitatem ejus, & nocendi appetitum: finis enim Sathanæ est, avertere nos à Deo: quod tripliciter agit, vel aperto conflictu Fideles persequendo, in carceres, & mortes mittendo: Vel occultè, idque vel per se, suggestionibus

R 3 suis,

suis, quæ aliæ non sunt, quàm quas ipse in se habuit, ante lapsum suum, præsumptionis: à lapsu, desperationis: ante diluivum ne crederent homines Deo: à diluvio, ut diluere replerent omnia: ante legem, ut vitiosissime viverent: à lege, ut superstitione, & schismate omnia vitarent: nunc nos trahit, quasi fractis corporibus, ad molliora, oppugnatur in ultimis tēporibus inexploratis modis fidei, & bonos mores, eò usque, ut mallet centies mori, quàm ut homo exhiberet minimum bonum charitatis Deo suo, ut ait Dominus S. Brigittæ, lib. 1. c. 54. Tertio oppugnat nos per naturam nostram vitiatam, gratiæ oppositam, ut fuse refert Thomas à Kempis lib. 3. cap. 54.

Conf. 2. Quòd charitatem & patientiam non possit diabolus imitari. Utrique armatus Christus Dominus nos ad se vocat juxta D. Aug lib, de vera Relig. c. 16. Omnia, quæ habere cupientes, non rectè vivebamus, (Christus Dux noster) cavenda vilia fecit: omnia, quæ vitare cupientes, à studio deviamus veritatis, perpetuando decuit: non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempnit, vel fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. Mirabor, quòd cum sciant homines diabolum tam tetrum esse, tamen eum sequantur: tam callidum, tamen non cau-

eius

Dominica 7. post Pentecost. 391

tius agant: tam esse ferocem, & non magis horreant. Ad me reflexus disquiram, quid sit, quo me ille magis attraxerat, ne amplius illi subijciar in æternum.

Conf. 3. Quomodo homines spiritu sathanæ seducti divitias appetebant; Christus autem pauper esse voluit: honoribus, & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit: Carnales filios magnum bonum putabant: conjugium prolemque contempserunt: Dolores corporis execrabantur, flagellatus est: contumelias horrebant; omne genus earum sustinuit: Mori metuebant; morte multatus est ignominiosissimâ. Tota igitur vita Christi in terribili disciplina morum fuit, ad quam amplectendam nos ipse hortatur apud D. August. Hom. 34. ex 50. *Hoc à me discite, quod propter te factus sum. O JESU, principium viarum DEI, esto viaticum, & præbe nobis viam ad Regnum DEI.*

MEDITATIO. CCXVIII.

Feria 2. Dom. 7. post Pentecost.

*De inevitabili necessitate mortificationis
volentium adharere DEO.*

Aspiciam virtutis regnum in edito colle,
juxta illud Job. 28. *Nescit homo pretium
ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.*
Petam mortificatione, ut Phoenix renasci.

R. 4

Conf. 1.